



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-75911-p0002-4

DFG

1352.


QK 242

41



ORATIO  
In  
MEMORIAM ET HONOREM  
*VIRI CELEBERRIMI*  
**IOANNIS FRISCH-**  
**MVTHII**  
PROFESSORIS DE ACADEMIA IENENSI  
OPTIME MERITI  
RECITATA PVBLICE  
A. D. VII. CALENDAS IULII CIC II  
a  
M. IO. SIMON PVRGOLD.

IENAE  
EX OFFICINA GOLNERIANA.



MAGNIFICIS SVMME REVERENDIS  
EXCELLENTISSIMISQVE VIRIS  
**DN. FRIDEMANNO BECH-**  
**MANNO**  
NEC NON  
**DN. VALENTINO VEL-**  
**THEMIO**

THEOLOGIAE DOCTORIBVS EIVSDEM-  
QVE PROFESSORIBVS IN ACADEMIA  
IENENSI ORDINARIIS  
CELEBERRIMIS

**BEATI FRISCHMVTHII**  
**GENERIS**

DOMINIS PATRONIS PRAECEPTORI-  
BVS AC PROMOTORIBVS MEIS OMNI  
HONORE ATQVE OBSERVANTIAE  
CVLTV DEVENERANDIS

*Hocce elogium*

BEATI SOGERI

*grato animi cultu*

*dicat*

**M. IO. SIMON PURGOLD.**



# GEORGIVS SCHVBARTVS D.

bistor. & eloq. prof.

S. D.

COMMILITIONIBVS.

**P**ergimus in elogiis recitandis  
doctorum virorum, qui vixe-  
runt in hac academia. IOAN-  
NES FRISCHMVT HIVS inter  
hos eminent praesertim, linguarum stu-  
diis non in Germania tantum nostra,  
sed & apud exterios clarus: qui fideli  
eruditione THEODORI HAK-  
SPANII, & CHRISTOPHORI  
ADAMI RVPERTI, profecit  
ita, ut magnum in bonis litteris nomen  
foret. Sed & nos ingratie essemus, si  
eius merita transmittere silentio vel-  
lemus. Postquam enim ad spartam e-  
mersit publicam, non aliter quam o l  
oriens in adscensu dispersit radios vn-  
):(  
dique



dique, & nunquam a cursu docendi  
cessauit, nunquam in munere sibi com-  
misso stetit, usque dum in **CHRITO**  
**SALVATORE** occumberet, atque  
tristem nobis relinquenter noctem. Fa-  
ta hæc sentiunt meliores artes, quoties  
amittimus illos, qui eas ornabant uni-  
ce, & per decora ingenia prouebebant.  
Neque modicum fuit spatium, quod in  
laboribus perpetuis exegit, ultra an-  
num tricesimum. Si qui desiderant  
argumenta laudis, tot eius libellos ac  
dissertationes, quibus difficiliora sacræ  
scripturæ loca illustravit, pari cum  
beato praceptor industriæ, doctrina,  
sentiendi statuendique libertate, con-  
ferre possunt. Pauci supersunt omni-  
no, quibus hoc benignum concessit nu-  
men, praestandi similia. Neque enim  
putamus, tam audaculos fore nonnul-  
los,



*los, qui quidem sibi videntur sapere,  
ut nostrum facile superent. Iam pae-  
ter sapientiae doctrinaeque studia, si  
curam aestimare velimus, & propen-  
sionem singularem, qua res acade-  
miae post saceri beatissimi, PAVLI  
SLEVOGTHI, obitum administra-  
uit, multa buc praeclara in cumulum  
afferre deberemus: quae tamen nec  
pagina nostra, ne solers meditatio ex-  
plicare poterit. Id honesto impetu sibi  
proposuit CL.V.M. IO. SIMON  
PURGOLD, Waltershusa Gothha-  
nus: quem ut de nostri studiis ac me-  
ritis facunde differentem audiatis, o  
mei, per amenter oro atque contendō.*

P. P. A. D. XXIV IVNII,  
CIC CIC XCIII.



**Q**Vi claris monumenta viris ex  
marmore ponunt.

Magnum cum Heroum nomine  
nomen habent.

**Q**ui retegunt nobis, quae tempora  
prisca tegebant,

Et res expandunt, praemia mul-  
ta vident.

**Q**uid tua non capiet, **PVRGOLDI**,  
Musa diserta,

Cumiam **FRISCHMVTHII**  
facta genusque canis?

Perge, aliquosque viros in sacris siste  
facellis:

Sic tua fama suo plena vigore  
viget.

*Hisce*

*praeclarissimum dominum perorantem gratulabundus  
ad cathedram comitabatur amicus.*



I. N. I.

**P**HILOLOGIAE studium, quam salutare ac proficuum sit cultoribus artium, intelligunt, qui huic Deae, per totum vitae spatium sacra fere: agnoscunt, qui intrauere nobilissimae huius scientiae templum: admirantur singuli, qui sacra facturi cum veneratione accedunt. Laudent alii metaphysicam cum Keckermanno, vt etiam eius ope lucem diuinam accendi velint: nequant alii logicæ coronam, & quascunque, vt aiunt, scientias philosophicas summis efferant laudibus. Neque vero eos reprehendendos existimo, philologiam, si non omnibus praferunt, omnium tamen gloriam aequare, neque ulli liberalium arti splendore, & dignitate cedere, adseuerantes. Licet enim non omnino cum Perizonio faciamus, quicquid utilitatis ex studiis percipiatur, philologiae tribuente, non sine reliquarum artium contemptu; tamen, si verum fateri volumus, dicendum: philologiam inter excellentes artes caput efferre, quippe fundamentum verae eruditionis, cui innixi, non facile aberrent, nec animum fallant.

Oportet sane, honorem habere metaphysicis, sed, adorare eos, licet minime. Verendum enim est, ne ipsis musis sit opprobrio, quae, cum libertate utantur, nec

A 2

ser-

seruire vlli possunt, nec imperare desiderant. Recordanibus superiora illa tempora, tota, tota, inquam, metaphysica & logica, terror iniicitur. Quis enim credidisset, adeo durum excellentiorum Musarum ceruicibus ab ipsis sororibus imponi posse iugum, omnium ora & aures solis quaestionibus metaphysicis tunc temporis implentibus. Sed quae nam utilitas inde redundauit in mortales? barbara certe manserunt secula, stupor fuit omnium, & de doctoribus, scientiarum, ut ita loquar, exercitum in triumphum ducturis, sola saepe triumphabat ignorantia. Quos communi huic Germaniae malo fortuna subducere volebat, ad exteris & longe dissitas terras peregrinationem instituere coacti, Italos conuenere, & Gallos, humanius vitae genus profitentes, ibi inuenisse contenti.

Postea vero quam verae eruditionis admiratio, & philologiae studium ex Italia ad Germanos transire coepit, laetiora adfulsere tempora, ignorantiae nebulis sensim dissipatis. Vna vrbs Argentoratum pluribus annis elegantiore doctrina, quam vniuersa Germania vberiusque floruit, adeo, ut ingenia eruditorum solis Argentoratensium muris, quod olim Velleius Paterculus de Athenis dixit, clausa existimaris. Quotusquisque enim nostrum est, qui ignoret scholam illam Sturmianam, ex qua tot eruditionis heroes prodiere. Studiis illis viam aperuerat Io. Sturmius, tantis in hoc studiorum genere adornatus virtutibus, quantas & perfecta natura, & industria mortalis conditio recipit. Tunc remotis otiosis illis quaestiuculis, non gradu, sed praecipiti ferme cursu ad lucem Phoebi descitum. Et ubi est in orbe litterato locus, qui non de fama Freinsheimii acceperit. Secutus est Berneggerus dignus praeceptoribus discipulus, &

Magis



Magister discipulis suis dignissimus. Hos inter est Boecle-  
rus , qui loquenti manum iniicit , vtpote silentio potius  
quam verbis meis colendus. Plures ordine essent pro-  
ducendi , nisi ad tempore priores reuocaret nos aeta-  
tis ratio neque heic negligenda. Floruit cum Sturmio  
Melanchton , vir , dum viueret , cum a studiis solidioribus ,  
tum a meritis in repurgatae doctrinae initia praestitis  
memorabilis vbique. Quantum Camerarius singulari  
sua doctrina horizontem Germaniae illuminarit , notum  
est , & inter omnes constat.

Neque vero iam est propositum , colligere eos , qui  
in repurgandis studiis egregiam collocarunt operam , &  
praeter cetera studia philologorum quoque munere ,  
non tam in vrbe quisque sua , quam orbe functi sunt.  
Neque illos quidem omnes recensere possumus , qui hac  
in musarum sede , cultiora studia illustrarunt , & auctiora  
postoris reliquere. Non vnius enim sed multorum  
opus est. Attamen ex adductis intelligimus , a quibus ,  
& quantis viris Germania in hoc studiorum genere initia  
& incrementa sumserit.

In praesentiarum vero ex philologis huius acade-  
miae , non quemadmodum meretur ; sed prout vale-  
mus , laudabimus IO. FRISCHMVTHIVM professorem ,  
cum in viuis esset , linguarum orientalium celeberrimi-  
num & meritissimum , qui egregia sane et singularia in  
philologiam sacram , & in omnes sui muneris partes praes-  
titit.

Quod si igitur in quibusdam viris laudandis , vt Ci-  
cero ait , etiam si maximi ingenii non essent , probabilis  
tamen industria ; eo magis a vobis A. H. faciles mihi  
policeor aures , cum non de mediocris ingenii viro , non



de aliquali alicuius in linguis notitia, non de philologo  
loquaci; sed de ingenio magno, linguarum orientalium  
**callentissimo**, & philologo nostri seculi inter celeberrimi-  
mos celebri dicturus sim. Adeste aequo animo, vt  
intelligatis, quanti aestimandus sit hic, quem proposui-  
mus, & quantum intersit, nosse viros bonos. Institutum  
eorum, qui claros atque excellentes viros posteritati  
**commendant**, laudat quoque Seneca in epistolis: prode-  
rit non tantum, quales esse soleant boni viri, dicere, for-  
mamque eorum ac lineamenta deducere, sed quales fue-  
rint, narrare, & exponere. Duodecim etiam tabula-  
rum, quibus antiquissima gentis Romanae instituta con-  
tinebantur, lex fuit: honororum virorum laudes in  
**concionem memorantur.** Instituto Excellentissimi GEOR-  
**GII SCHVBARTI I. V. D.** professoris eloquentiae &  
historiarum, ac praceptoris summe colendi illa obserue-  
tur consuetudo, ea quidem lege, vt neque quod rectum &  
verum negligamus, neque immoderati alicuius aestima-  
tores videamur. Recolatur itaque grata mente FRISCH-  
**MVTHII memoria**, celebretur tanti philologi nomen.

Atque vt hinc exordiamur, si nihil diceremus aliud,  
nisi eum Werthemii in Franconia A. O. R. O. M. IOC XIX  
xviii Calendas Maii esse natum, quodammodo inno-  
tesceret, quanto nationes barbarae morum elegantia ex-  
cultis, loca eruditorum sterilia diuinorum ingeniorum  
feracibus; tanto esse hunc multis anteponendum & praef-  
ferendum. Olim quidem Tacitus Germaniam, in qua &  
Franconia, informem terris, asperam coelo, tristem cultu  
atque adspectu dixit. Sed, vt Buchneri verbis utar, ista  
omnia se nunc multo habent aliter, & prisca omnis infor-  
mitas, asperitasque, heic in laetissimas segetes, ibi in  
vineas



vineas amoenissimas, hortos, transit, quid mirum, si eundem decorem referant animi & posito tristi in cultu illo squalore, omnem leporis atque elegantiae speciem capiant, iuxta ac re praesentent. Nihil iam de ceteris Germaniae dicam nationibus; Franconiam incolentes habent, qui ad veteris Romae splendorem ac dignitatem latine; qui ad antiquae Hellados leporem ac venustatem loquantur graece, ac scribant. Quin qui cum vniuerso oriente, & ipso meridie etiam sermonis colant commercia, & lingua sua Palaestinos, sua Syros, Chaldaeosque, sua Arabes, AEthiopasque alloquantur. Quos inter ut genuinus ciuis noster excelluit, & a patria acceptam gloriam multis auxit dotibus. Domus nativitatis fuit in vrbe, quae hodienum floret, & Werthemium dicitur, sedes comitum, ad confluentes amnes, Tubarim ac Moenum.

Ita vero patriam habuit nobilissimam, qui quidem non in sinu nobilium, aut familia splendidorum adoleuit, quamvis usus sit parentibus honestissimis. Pater eius fuit ex honesto ciuium ordine, quibus ad senatoriam dignitatem locus patet ibidem. Qui licet artes liberales non exercuerit, attamen cum matre Margareta Buttelia, & ipsa optima foemina eo annis fuit semper, ut puer summa diligentia educatus, mature adhiberetur bonis moribus, ac litteris, non ignorans, artes illas diutinas esse, & proprias consuesce, quibus prima puerorum aetas imbui soleret, id quod Poëta ita exprimit:

*nunc adhibe puro  
Pectore verba puer, nunc de melioribus offer,  
quo semel est imbuta recens seruabit odorem  
testa dist.*

Eleganter Plato istam parentum curam cum cura  
tincto-



tinctorum explicat, qui lanam non nisi praeparatam, ab omnibus sordibus liberam, albam, & simplici colore nitentem purpura inficiunt, quos in educatione liberorum sequi, parentes hortatur. Prima enim aetas specie praebet status adhuc purioris, & ad quoduis recipiendum aptissimi, vbi si istos annos optimis moribus imbueris, aequa litteris, tenacius inhaerent, nec facile cum vitiis permutantur; veluti purpura lanae purissimae adspersa, & omnes panni partes intime penetrans, nullo nitro expelli, nulla lotura abstergi potest; contra si viciosa educatione a virtute abducti, mollique ac dissoluto victu, cultuque corrumptur, non possunt se peius de liberis suis mereri parentes. Nam qui a pueritia malis adsuescunt, vel plane non, vel difficulter emendantur in adulta aetate. Frangas citius quam corrigas, quae in prauum induruerunt, Quintil. docet. Ex quo intelligimus, parentes liberos denuo suos reddere bona educatione, quos paullo ante generatione maxime obstrinxerant. O liberos vere felices, qui parentes educationi intentos, adepti, ad optima quaeque educantur. Nactus fuerat beatus tales, quantum modo poterant, aetati tenerimae prospicientes.

Quae cura eo magis tum erat necessaria, quo peiora videbantur tempora, deterioraque, in quibus viuebant. Feruebant bellis circum circa omnia, & ad interitum non tam res Franconiae, quam totius Germaniae vergebant, ruebant: turbines rerum humanarum, & ille crudelissimus fortunae ludus tricennalis reddebat parentibus educationem liberorum difficultam; nihilo segnus tamen pater cum matre pro sua pietate contenderunt, ut rebus filii consulerent optime. Sanctiorum morum praecepta domi instillant animo adhuc tenerimo: fideliter propo-

proponunt, quae salutaria maxime, ac profutura visa sunt, quibus vteretur, si prout erant tempora, externa vis ingueret. Neque enim in illo rerum articulo, in templis, nedicam in scholis, tanta erat securitas, quanta praesenti fruimur tempore.

Parentes filiolum priuatōs intra parietes ita praeparatum, praceptoribus scholae patriae committunt, & quamuis inter illas tempestates, armorumque strepitus, vix concessum esset, animū adiungere, ad inferiora disciplinae subsellia visitanda; attamen FRISCHMVTHII indoles in dies se probauit praceptoribus suis, vt omnes bene sperarent, & tum parentes, tum filium ad incepta prosequenda, hortarentur. Fulgebat enim iam in puerō bona indoles, quae multa pollicebatur, & plura sequentibus annis reseruari, praedicebat. Arboris bonitas ex progerminantibus fructibus perspicitur; pariratione ex indole, quam puer p̄ae se fert, virtutem plenioris aetatis praesumimus. Bene vero agitur cum illis, qui ita ad praceptorum latus versantur, vt simul indolis exploratores accipiant, ne sumtus inaniter fiant; aut suo proposito ratio pessime constet. Hoc modo FRISCHMVTHIVS patriam scholam frequentabat diligenter: paria faciebat cum suis condiscipulis, quin imo saepe superabat, vt magis confiderent, quam sperarent, talem futurum, qualis parentibus & praceptoribus honori, paribus incitamento foret.

Verum vt conditio rerum humanarum magis patet, plura FRISCHMVTHIO acciderunt, quæ animū etiam puerilem tentarent, & si possibile fuisset, a studiis auerterent, abducerentque. Incumbebat FRISCHMVTHIVS omni studio in id, quod suae aetati, non

tam ipse conducere intelligebat, quam aliorum monitu, ad ductu didicerat; cum pernicioſa lues urbem occupat, adeo, vt quam plurimis coelo redditis, superstites in singulas horas timerent, ne debita naturae eodem modo reddere, cogerentur. Hinc quam ſolliciti fuerint parentes de filii salute, magis quam de ſua, cuius facile intelletu est. Curae proliſ in diuersum agebant eos, vtrum filium aliorum mitterent, & veluti e faucibus mortis ereptum, amicis in agro traderent, aut domi retinerent ſecum, quem natura ſeparatum nolebat, eadem conſtantia, qua belli onera tolerabant, experturi, quicquid forſ tuliffet. Dum enim animus in dubio eft, huc illucue impellitur. Sed amor vicit amore, & qui ſemper amabant praefentem, impensis amaturi erant absentem, dummodo periculo communii liberatus, alicubi in vadō eſſet. Euidem praefentis periculi ſpecies corda animosque perſtrinxerat; nihilo tamen minus conſilium ſuppetebat; ſatiuſ eſſe filium in tuto ſolum versari, quam cum omnibus in periculo.

Mittunt igitur dilectiſſimum coniugii pignus ad auunculum Reichenholzemum, vbi alijs coeli hauiſtus, alijs lucis adſpectus credebatur, vt ibidem pastoris vteretur informatione. Iam reliquerat FRISCHMVTHIVS parentes, quos erga nemini cedebat amore, & ad quorum nutum ſemper intentus fuerat: reliquerat preeptores parentum munere functos, propterea eodem dignoſ honore; eoque magis, quia non una, vel altera vice, ſed ſaepius ad muſas frequentandas ſtimulos addiderant: reliquerat condiſcipulos, quibus cum pena fecerat, quandoque ſuperatos ad meliora incitarat; cum ad auunculi latus

latus esset, cum pastoris opera proficeret, cum animum  
praeceptis exornaret, nec discere cessaret.

Verum haec permutatio loci minus diurna, minus  
laeta fuit, vbi Deus per aduersa ad laetiora ducturus vi-  
debatur. nam dum filius a conspectu parentum, simulque,  
a praesentissimo mortis periculo abest, lues Dei permissu  
saeuitiam suam exercet in parentes, vnicum euasisse sal-  
uum, aegre ferens. Discesserat a parentibus, aliquando  
ad eosdem redditus, nisi fragilis hominum conditio ani-  
mum fecellisset. Redit quidem domum, ingreditur; ve-  
rum haut secus ac in solitudine constitutus, nullibi videt  
parentes, morbo quamplurimis communi ad veram vi-  
tam delatos. Haut difficulter animo concipias, quantum  
vulnus in morte parentum peradolescentulus acceperit.  
nam ferme totius aetatis mala in hoc tempus fortuna cu-  
mularat; foris belli strepitus cuncta impleuerant: intus  
lues vexabat. Fluctus fluctum; sic calamitas calamita-  
tem trudit, & raro sine sociis apparent mala. Ita a  
parentibus destitutus, peruenit in manus tutorum, qui,  
licet quandoque male audiant; FRISCHMVTHIVS  
vero melioris notae viros adeptus, ire & pergere, quo  
cooperat, animatur. Et iam repetierat scholas patrias,  
cum denuo pestis oppidanos inuaderet. Non in foro  
solum, & aedibus publicis pertimescebant malum illud,  
non denique inter domesticos parietes; sed inter latera,  
illa furiarum soror versabatur; adeo ut rursum coactus  
urbem relinqueret, alicubi salutis suae rationem melius  
haberi posse, existimans. Fugit itaque, & refugit, excessit,  
euasit vero tandem, atque erupit. Tot inter mala  
FRISCHMVTHIVS Deum suum semper respiciens, ma-  
luit per acerbiora ad laetiora duci, quam malis cedere,

spe vnice in Deo collocata, ex malis, in quibus conseruatius erat, haud vane coniiciens, se Deo gratum & acceptum. Evidem tot mutationes ac fortunae ludibria magno erant damno studia amanti; ex omnibus tamen malis se expedivit, & paullulum emergere coepit, Deo prospiciente, iuuante, defendente, & ex alto coeptis benedicente, ut ad altiora idoneus redderetur, promptiorque surgeret.

Postquam igitur non sine aliorum consilio Altdorfum venit, ubi studia sua in melius formarentur, ex alio orbe in nouum sibi videbatur delatus; cum non amplius tot impedimenta obicerentur, sed familia viderentur omnia, & auxilium ferendi, tempestatibus hucusque circumacto, propensa. Vix intrarat Altdorfum, amicum iuxta ac singularem fautorem sibi conciliauit, CHRISTOPHORVM ADAMVM RUPERTVM polyhistorem quondam magnum. Hic tantum quod noster peruenerat in academiam Altdorfinam, sibi eum adsociari cupiuit, adsociatum egregiis beneficiis deuinxit, deuinatum opera liberalis suum reddidit. Recepit eum in musaeum, atque communicatis, quae praestantiora cunque habebat, indolem erexit, alias humi repente minime. Talem inuenire contubernalem, ad potiora fortunae, quae musarum cultores ornat, referendum. nam cum magna res sit sapientiae studium, non minor prudenter requiritur, illud instituere recte, & facere gradus, & ordine vero procedere. Saepe autem augustiorem musarum sedem primum salutantes, de huiuscemodi virtutibus paruni norunt, ut ita peropus sit, alios potius, quam se intueantur. Nemo felicius agit, nisi cui fidus, & in litteris iamtum versatus contubernialis contigerit,

cum



cum quo die nocteque versetur. E scholis ad altiora progressi, non statim in conspectum venimus verae sapientiae, cum vmbbris plerumque res gesta est; sed tum demum maiestas sapientiae innotescit, cum comitamur eos continuo, qui proprius eam norunt. Celebremus ergo fortunam FRISCHMVTHII, qui simul ac superioribus scholis interesse cooperit, talem inuenerit contubernalem, qualem alii parentes, alii doctorem, alii fratrem exoptarent. Vere FRISCHMVTHIVS noscebatur ex socio CHRISTOPHORO ADAMO RUPERTO, qui per breue, quod vixit temporis spatium, magno fuit emolumento rei litterariae. Hoc populari, hoc contubernali, hoc ductore, & doctore proficiebat egregie, ad veram, eamque solidam eruditionem adspirabat, diligenter studiis operā dando. in otio enim nihil consequimur, cum ne ludi absque otio celebrari possint; strenue sequendo. nihil tam alte positum a natura, quo virtus & diligentia non possint eniti. Ductu huius magistri in primis académiae annis humaniora, quae & elegantiora adsecatabantur, sine quibus eruditionem vt palatum sine fundamento, vt proceram arborem sine radicibus, vt circulum sine centro esse, iam intellexerat.

Origines eruditissimus ille patrum in libris contra Celsum tradit: Pythagoreos, qui, relictis philosophiae studiis, plebeiam societatem elegissent, cenotaphia exstruere solitos esse, ac si pro mortuis habendi sint, qui philosophorum coetum vulgo, eruditionem ignorantiae praeferrent. Id non minus in eos conuenire videtur, qui humanitatis studiis insuper habitis, non quidem inferioribus disciplinis, & artium vulgo, sed altioribus, eorumque principibus se miscent; versantur, vt semiuiui

inter doctos , & si res a principiis rēpeti debet , adque pri-  
ma fundamenta recurrere , necesse est ; impingunt , hae-  
rent , & rebus , quas alto supercilio susque deque habe-  
bant , extricare se non possunt ; non secus ac Phryges , qui  
non nisi sero sapere volunt . Tunc laudant nepotem ,  
cuius nōmen antea fastidio erat : tunc aestimant Teren-  
tium , quem ante hac ad homines puluere illo conspersos  
tantummodo relegatum volebant , & quod mireris , re-  
trogrediuntur , discunt , vt modo Cicero placeat . Ut  
plurimum quidem putamus ante inscholis , quam acade-  
miam transierimus , tantum in his studiis comparatum  
esse habitum , vt nil supra ; adeo venusti nobis videmur ,  
vt nil addi possit , neque operae pretium ducatur , aliquid  
sequentis temporis in illis studiis consumere , haut absi-  
miles illis , qui atra bile infecti , habitudinem corporis ad  
vmbrae suae magnitudinem exigunt . Ita vero nec phi-  
losophos in academiis visitare necesse esset , cum iam in  
scholis malint philosophiae , quam humanitatis salutari  
cultores .

Longe alia mens fuit beato , qui ne in quiete quide[m]  
Musis attribui solita , aliquid contemni oportere , iudica-  
bat . quo facto non mirum est , si feliciter progressus fue-  
rit in reliquis , talibus enim fundamentis positis , non facile  
corruit , quicquid superstruas . Neque vero FRISCH-  
MVTHIVS philosophiam neglexit , sed quantum eius  
doctrinas ad metam suam vtiles fore , iudicabat , diligen-  
ter ei operatus est . Id ipsum non minus comprobant  
scripta posteritati relicta . Non poterat non philosophis  
delectari , qui omnes amabat litteras , praestantiores ,  
quascunque sequebatur , & in optimas summo ruebat  
ardore . Semper tamen respiciendum est ad scopum ,  
quem

quem qui non obseruat , semetipsum fallit, alios decipit , magnam de eo spem concipientes. qui in stadio currunt, ad metam desudant ; iaculatores etiam sibi defigunt scopum, quem petant. Quare cum FRISCHMVTHIVS sanctioribus doctrinis addictus esset , notitiam linguarum orientalium sibi necessariam cumprimis fore , tenebat. Quamobrem FRISCHMVTHIVS , vt haereticorum fraudes animaduerteret facilius , & suo tempore eas ipse retegere , destruereque posset , scholis THEODORI HACKSPANII orientalium professoris tum temporis in Altdorfina celeberrimi , frequentabat , gratulatus sibi in ea se incidisse tempora , quae eum paeceptorem in hisce studiis dare possent. Quantus fuerit ille vir in linguarum scientia , quam bene meritus de philologia sacra , nonne lucide appareat , scripta , quae reliquit , euoluentibus? ab hoc paeceptore didicit , quae sibi profutura , persuasus erat. Non communes saltem lineas attigisse contentus , vltra processit. Chaldaeam , Syriam , Arabiām , & quae his adiacent , terras , animo & ingenio peraguit , in addiscendis earum linguis maximam nauauit operam , in quibus adeo fuit eruditus , vt specimina , quae subinde ederet , luculenter monstrarent , in dolem , quas ante commemorauimus , linguarum , ei ita fuisse cognitam & perspectam , vt si non superaret , aequaret certe hisce linguis loquentes , & in terris earum natos , educatos , informatos.

Praesertim Rabbinorum scripta & commentationes , eodem doctore HACKSPANIO , legit , & relegit summo studio , vt exinde , qui cum eo versabantur , facile viderent , studium linguarum & philologiae sacrae pae aliis arridere FRISCHMVTHIO , neque Rabbinorum sacra eius  
exce-



excedere ingenium. Haecce studia adgressus, nulli labori, nullis lucubrationibus, nulli temporis pepercit, ut perueniret, quo tendebat, votique compos fieret. Certe, qui Rabbinorum lectionem eligit, non duas tantum horas, aut tres, singulis diebus, huic studio impendere debet, nisi inter illos velit numerari, de quibus Schickardus queritur in praefatione super **תְּבִיבָה** ad Lansium & Besoldum, cuius verba adduxisse non poenitebit, cum prout beatissimus Io. Ernestus Gerhardus in dissertatione VII ad nouum testamentum syriacum loquitur, plena leporis, plena veritatis, plena acuminis sint. O quam frequens est, inquit, hodie semihebraeorum temeritas, qui ut Rabbinos legisse putentnr, Maimonidas, Nachmannos, Abenesras, Becchajos, Rabbi Salomones subinde crepant, ipsumque adeo Talmudum citant, quorum tamen nihil vnquam, ne per transennam quidem, non dico legerunt, sed vix viderunt, ut si quis de externa tantum forma rogaret, in octaua, quam vocant, excusos forte responderent. Eiusmodi sciolos non imitatus est FRISCHMVTHIVS, cum enim linguarum studium & doctorum Hebraeorum lectionem suscepisset, plurimum temporis in illis consumebat, ut inter exercitatos par, inter pares excellere existimaretur.

Tantis in studiis, tot in egregiis laboribus, in tam claris ausis per nouennium inter eruditos Altdorfi versatus, cum professorum laude, commilitonum admiratione, locum mutare, Ienamque nostram inuisere, consilium cepit. Quare vale dixit Altdorfo, vbi animum varia scientia hactenus impleuerat, vbi tot annorum spatum sui semper officii memor emensus, quasuis sanctioris disciplinae partes secutus fuerat diligenter. Namque illud homi-

hominum genus nunquam non oderat, qui, cum consenserunt ferme in academiis, abituri flebilem emittunt vocem:

*O mibi praeteritos referat si Iupiter annos ! neque illorum fuerat fautor , qui annis academicis aestimari malunt , quam diligentia in annis. Sed vero FRISCHMVTHIVS, cum Ienam se conferret, semper in animo habuit, non aliquid dediscere , sed plura discere; & quod AEschines de viatoribus dicit:  $\text{g' τὸν τρόπον ἀλλα τὸν τόπον μετήλλαξεν}$ . vere de eo potest praedicari, quippe qui semper audiendi fuit studiofissimus ; hoc potius intendebat, vt eruditis alibi viuentibus innotesceret , &, Ienae quoque collectis , quae optima, quae diutina, ex tot eruditorum oris hauriret , necessaria aequa atque utilia,*

*apis matinæ*

*more modoque*

*grata carpentis thyma per laborem*

*plurimum circa nemus vuidique*

*Tiburis ripas.*

Laudabilem scopum haut dubie illi viderant , qui Altdorfum relicturo, filios suos nobilissimos committunt, fideli vtpote magistro, cuius consiliis, exemplis, monitis, atque doctrinis vterentur , a quo ducerentur , vt ipse a suis magistris olim ductus & educatus fuerat. Hoc unum satis esset testimonium , quanta cum diligentia res suas Altdorfi egisset. Tum nomine totius academiae non incelebris theologus D. Georgius Konigius ad nos abituro, testimonium tradidit, in quo non fictis & in adulationem compositis , sed meritis eum euexit laudibus,

& sin-



&, singulari studiorum cursu recensito, quanti commen-  
dandus sit omnibus, non obscure significauit, quid im-  
posterum ab eo sperandum esset, quasi praedicens. Bo-  
nis vt dicitur aui bus dimissus, peruenit ad Salanam, qui  
simul ac istam musarum sedem attigerat, omnium fau-  
rem & benevolentiam sibi comparauit, bonis moribus &  
litteris plurimorū oculos in se conuertens. quae quidem  
omnia, sicut in testimonio Altdorfino per summa tantum  
capita indicata erant; ita in vita & conuersatione; in fa-  
ctis & colloquiis maxime elucebant. Certe, qui ita vitam  
instituit, facile laudem inueniat, & amicos pariat.  
Acceptus erat doctoribus theologiae, qui hominem  
optimis artibus eruditum, linguarum orientalium appri-  
me peritum, doctrinae varietate exercitatum, summo  
complectebantur amore. Maxime vero de amore vere  
eximio & singulari, quem tum exhibuit Io. Tobias Ma-  
ior theologiae D. ac philologus insignis, sibi gratulatus  
est. Multas hic peragrarat regiones, nobilissimas vrbes  
adierat; doctissimos virorum conuenerat, &, rarioribus  
conquisitis libris, celebriorem habebat bibliothecam,  
quam, & quicquid in usum sui ex itinere conuerterat, com-  
municauit FRISCHMVTHIO; patuit illius viri mu-  
saeum, vt quando vellet, in illo se recrearet, studiisque  
suis exinde augmenta dare, licitum omnino, ac permis-  
sum esset. Placebat philosophis ob solidiora philo-  
sophiae studia, in quibus exercitatus erat. Exteri quoque  
nistro delectabantur. non enim silentio praeter eundum  
est, quod Io. Mullerus eruditus tum temporis theo-  
logus in celeberrima Hanseaticarum ciuitate publice  
fecit. Ediderat FRISCMVTHIVS duas dissertationes.

de



de praeceptis Noachidarum, quibus ipse se commendarat theologo illi, vt, docentis munere in frequenti gymna-  
sio oblato, FRISCHMVTHIVM ad se vocaret. Maior  
vero spes adfulgebat Ienae, nec utile arbitrabantur mul-  
ti, dimissum breui reducere, e longinquo videntes,  
quantum bonorum olim inlatus sit in academiam  
Ienensem.

Iam praemia diligentiae erant parata; iam fructum laboris ferre, tempus adpetebat. Fruges quidem quandoque sponte nascuntur, & saepe honores effusi habentur illis, qui nunquam de labore cogitarunt; & praemia non raro illis dantur, qui vel solo otio, quo torpuere, vel voluptatibus, quibus induldere, famam sui relinquunt; sed honores, qui in dignos conferuntur, licet rariores, tamen glorioiores, & praemia, quae laborem excipiunt, licet minora, praestantiora tamen sunt, atque magis propria. Primum professio extraordinaria linguarum fuit commissa, vt nempe certior spes foret ad ordinariam; quae etiam mox secuta est, cum poeseos professor publicus omnium suffragiis declararetur. Nunquam officii sui oblitus, ita se gessit, ita vitam comparauit, atque in dies plura & maiora eruditionis specimina protulit, vt, celeberrimo STHALIO rebus humanis exemto, & translocatione facta, ordinariam linguarum orientalium professionem, vnam serenissimorum nutritorum consensu, conserueretur. Quam, vti ante meruerat; ita eandem a principibus traditam, tot ac tantis exornauit virtutibus, tam egregiis tuitus est speciminibus, docendo, scribendo, & disputando; vt, quod in Walthero laudauerant: in Piscatore aestimarant: in Glassio celebrarant: in Slenoglio

C 2

adhue



adhuc admirabantur: FRISCHMVTHIVM partim possidere, partim capacem esse, animaduerterent.

Longum foret, omnia huius viri scripta recensere; quod non pauca sint, ex eo coniicere debemus, cum catalogus eorum typis expressus sit, & citius comparandus, quam illa ipsa, quae ibi indicantur, non tam mole, quam bonitate aestimanda. In quorum manus peruenire dissertationes eius, sibi eripi haut facile permittunt, tam accuratam rerum sacrarum explicationem, tam solidam Iudeorum refutationem, non vbiuis in disputationibus reperiri, certo persuasi. Praesertim in id collocaerat operam, studium, atque cogitationes suas, ut e Rabbinorum commentariis bona haut secus ac rosas rariores inter spinas collecta, ad usum publicum transferret, spinas vero contereret, & igneatela, quae subinde inter Iudaicas doctrinas tanquam pestilentissimo veneno infecta, micant, incautos vulnerant, extincta in aduersariorum ora dirigeret.

Qui egregium aliquod aedificium contemplari volunt, non satis sibi esse ducunt, illud uno vel altero tantum adspectu intueri, sed omnes partes seorsim considerandas iudicant; pari modo qui clarorum virorum vitam penitus cognoscere cupiunt, non tantum originem: in studiis educationem: atque progressum ad officia usque publica contemplantur, priuatam quoque vitam una cum excessu ex illa notent, necesse est. Huc usque diximus de FRISCHMVTHII origine, ac educatione, ubi simul bonas, quas excoluit litteras, perpendimus, & quarum literarum, qualia tributa sint praemia, docuimus breuiter. Ut vero plenius cognoscamus, quanta huius viri praestantia

tia fuerit , ex reliquis aestimare liceat , quam breuissim . Postquam professoris munus susceperebat , opera officii sui candore , scientia , ac multo rerum vsu adgressus , elegit , vitae comitem , & consortem futuram . Ex nomine , quod alias minus prospere cedit , argumentari potestis , quam felix fuerit , & quam singulare , non tam fortunae , quam Dei donum FRISCHMVTHIO contigerit , si di-  
xero , PAVLI SLEVOGTII filiam vere Sleuogtianam electam fuisse , atque in manus datam : virginem omnibus & animi , & corporis , & fortunae dotibus ornatissimam . Coniugio cum lectissima virgine inito , expertus est ipse veritatem eorum , quae Ammianus Marcellinus habet : ubi reliquae virtutes sine coniugio honesto , comparantur ex Bachylidis & Iuliani dictis cum statua , quae capite caret . In hoc vitae genere talem se praebuit Deo , vxori charissimae , liberis dilectissimis , reliquisque domesticis , qualem Dei & naturae instituta requirebant .

Ipse Deus benedictione sua comprobauit , placuisse sibi horum coniugium . praeter alia enim bona , quae Deus satis abunde adfluere iusserat , duodecies parens factus est ex coniuge ista , quorum tamen plurimi , patre adhuc viuente , ex vita excesserunt , vitam comoediam esse satis testati . Quos vero Deus adhuc superstites esse voluit , sunt tres filii , & duae filiae : illorum primo natus est vir amplissimus , secretarius huius academie ; secundo natus non minus rerum , quibus praefectus est , ad academiam pertinentium , curam gerit laudandam ; tertius inter ordines militares non ultimum praefectorum tenet locum , ad maiora surrecturus : harum vero singulare est fatum , & felicitas non silenda , quam multi

parentes optant, & filiae desiderant; a paucis tamen obtinetur. His ambabus enim ex singulari Dei prouidentia, & absque dubio ob obedientiam parentibus praestitam, constantemque virtutum, quae hunc praeципue ornant sexum, amorem; his inquam contigit, ut uxores celebrentur duorum theologiae doctorum, qui fulcra sunt nobis in haec tempora seruata, quibus facultas theologica innitatur, quos nominare possem, nisi heic tacentem lubentius audiri, crederem, cum satius sit, eos silentio colere, quos nouimus omnes, quorum laudis fama ad exterros est perlata. In hisce quoque filiis summe reuerendis & excellentissimis FRISCHMVTHIVS viuit, viuat in posterum, magis magisque in posteris resurgat.

Illam vero vitae sociam non usque ad senectutem retinuit, sed post multos quidem annos, quos cum ea exegerat, morte eruptam vehementer doluit; laudando tamen prouidentiam diuinam, & paternam voluntatem celebrando, non fecit, quod iniustum. Postquam satis doluerat, videns, diutius rem suam, domo quasi e sedibus suis mota, saluam non fore, nisi ad secunda transiret vota; cogitauit de altera coniuge, quam & inuenit in domo Paschasia, foeminam virtutibus sui sexus ornatissimam. Neque haec in pariendo infelix fuit mater, nisi hoc ipso, quod omnes in infantiae annis ad eum, qui derat, decederent. Eadem pietate, qua prius matrimonium, secundum quoque fuit institutum. In utroque, pater pietate exemplum omnibus imitandum proposuit: qui ex priori supererant, summa cum cura educauit liberos, ad virtutes suo quasque sexui communes, & proprias ducens manu, atque incitans. Sciebat enim, liberos suos

non



non nasci fortuito: non temerario atomorum confluxu,  
quod Epicuri somnium, Leucippi delirium, coalescere:  
non a causis saltem naturalibus singi ac formari: sed Dei  
dona esse, & ideo bona educatione illi reddendos. Po-  
sterius in hoc maxime a priori diuersum fuit coniugio,  
quod ex illo liberi restent, ex hoc nulli; illic maritus  
vxori, heic vxor marito superstes viuat. Cui hunc vsque  
in diem viuenti Deus ter Opt. Max. porro tranquillam  
largiatur senectutem, & gaudia senectuti propria.

Ipse vero FRISCHMVTHIVS ad senectutem  
peruenit vna cum morbis, homines studiis continuis  
debilitatos, comitari, solitis. Semper enim intentus  
fuerat, ad satisfaciendum officio, nec quicquam eum  
impedire potuerat: fecerat vbique, quantum humunae  
vires permiserant, quod Deo gratum: orbi eruditō  
vtile: familiae salutare. Tot ex laboribus & curis  
contraxerat morbos, vim suam in senectute maxime  
exerentes: vexauit eum cachexia scorbutica: adflxit  
pedum tumor: accessit viscerum infirmitas: neque  
oculi officio suo extremis temporibus functi sunt. quippe  
quorum vis videndi tot in lucrationibus, tot in vigiliis  
consumta erat, dum aliis inferuierant. Expectabat  
igitur senex grandaeuus mortem, spei ac fiduciae plenus.  
Nullo modo mortem timebat, quam sciebat plane & ple-  
ne deletam, virtute, & vita Saluatoris, neque semimor-  
tuam relictam esse: vt in fabulis de Hercule legimus. qui  
ad Alcestidis bustum mortem superasse, & semiuiuam re-  
liquisse, dicitur, Phaerei autem cuiusdam opera pristino  
vigori restitutam. Tum satis edoctus erat, mortem fide-  
lium, si non vitam, tamen ad vitam esse ianuam, & fores

aeter-



26 2380 006

aeternae beatitudinis. Qui enim causam eius non in quis-  
quiliis materiae illius celeberrimae: non in Epicuri minu-  
tis puluisculis: non in Stoicorum fato, & stellarum situ: sed  
in peccato quaerunt, non dubitant, quin, hoc per Christi  
satisfactionem sublato, vitam sperent in ipsa morte. Haec-  
ce perpetuo cogitanti, mors in senectute venerabili ad-  
modum, venit non inexpectata; sed exoptata: dolores  
morborum sentienti, ut medicina salutaris. Usque ad  
annum sexagesimum octauum bene vixerat FRISCH-  
MVTHIVS, bene natus: bene educatus: & quod o-  
mnium ultimum, & optimum, bene mortuus.

Anima FRISCHMVTHII inter beatos triumphat,  
atque coelesti gaudio fruitur. Nec iniuria huc transfe-  
rimus, quod Velleius de summo quodam inter Romanos  
duce dicit; FRISCHMVTHIVS nusquam quidem est  
corpo, ubique tamen fama. Et quod recutitorum  
doctores perhibent: impii licet viuant, sunt mortui, pii  
vero quamvis mortui, viuunt. Ita FRISCHMV-  
THIVS adhuc viuit, licet mortuus.

D I X I.



KM7

m. 6

Ron 2b 2380, One  
f

ULB Halle

003 757 919

3





QK 242.  
41  
HODA C  
**ORAT  
In  
MEMORIAM E  
VIRI CELE  
IOANNIS  
MVT  
PROFESSORIS DE A  
OPTIME  
RECITATA  
A. D. VII. CALENDAS  
a  
M. IO. SIMON**

IEN  
EX OFFICINA C

